



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Cap. XXXII. De Mansuetudine & Clementia. Utriusque officia & praestantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

## CAP. XXXII. De Mansuetudine, &amp; Clementia.

*Vtriusque officia, & præstantia.*

1. **U**T iræ impetum mitiges, necessaria est mansuetudo, ne citra vel ultra recti limites hac in parte deflectas. Telum naturæ est ira. quo uti licet, cum peccantes arguere & castigare ex officio teneris: cum dicat prudentia tuam vel alienam injuriam debito modo repellendam esse, ne crescat ex impunitate reproborum licentia. Crudelis est tam qui nulli, quam qui omnibus ignoscit. Cum verò justitia exigente puniendi sunt rei, mansuetudinis & clementiæ memor esto. Descende ad pœnas tanquam invitus, & talis esto erga peccantes, qualis extitit erga te Deus. Sicut ille sustinuit te, ut meliorem faceret: ita illos sustine ut corrigantur. Despicias Medicum, si desperas ægrotum. Tam facilis est ægri sanitas, quanta medici sapientia & benignitas. Vir mitis iracundiæ pelago velut scopulus supereminet: fluctusque impingentes dissolvit; nec pœna semper, sed sapius pœnitentiâ contentus est. Clamat coacto cœtu humani generis Salvator mundi, Venite omnes & discite à me: non curare infirmos, non leprosos mundare, non cæcis lumen, aut mortuis vitam reddere. Sed quid? *Discite, inquit, à me, quia mitis sum.* Ad hoc redegisse videtur omnes thesauros sapientiæ & scientiæ suæ, ut ab eo discamus mites esse. Tanta mansuetudinis præstantia est.

2. Ut mansuetudo iram, sic clementia punitionem moderatur. Illa ad omnes, hæc ad principes & superiores pertinet. Ejus enim munus est mitiorem pœnam, quam jura exigant, irrogare; non ex timore, lucro, amicitia, aliòve motivo, sed ex animi lenitate. Non opus est latera montium abscindere, & in arduo collis vertice arces construere: saluum principem in aperto clementia præstabit. Hæc est munimentum inexpugnabile, quæ tutum reddit imperium. Malus Princeps invisus est, quia timetur: & timeri vult, quia invisus est. Quem verò

metuunt subditi, oderunt; & quem quisque odit, perisse cupit. Viræ Regum dominus est, quisquis suam contempnit. Frustrà se potentiâ munit, qui septus suorum benevolentia non est. Turpia sunt principi multa supplicia, sicut medico multa funera. Si Rex continet vim suam, si omnes injurias & offensiones supernè despicit; si quosdam alienæ iræ, neminem impendit suæ: tunc verè se Regem ostendit. Magni animi est placidum esse atque tranquillum.

CAP. XXXIII. *De Modestia. Munus duplex Studio sitatis. Quæ regula in usu Entrapelia servanda.*

1. **M**odestia reliquas animi dotes mirabiliter exornat. Hæc forma honestatis est & frænum vitiorum. Quamvis sermone taceas, habitu & gestu te prodis. Argumentum virtutis ex minimis licet capere. Vultus, risus, incessus & flexus oculorum, sæpè hominem ostendunt, qualis sit. Sic vive, ut omnes cognoscant te ad consortium Angelorum pertinere. Serva decorum in motu omnium membrorum, in gestu, voce & aspectu; ne quid in his effeminatum & molle sit, ne quid rusticum aut durum. Vera modestia ab animo in corpus, ex interna morum gravitate in superficiem emanat, ut quasi supellectilem suam mens foris inspiciat. Vir modestus vivum Dei simulacrum est: nam solus ejus aspectus intuentes componit. At hoc quàm bonum est, videri & prodesse? Spectat quoque ad modestiam tui statûs conditionem in vestibus, supellectili, ornatu domus & multitudine servorum non excedere. Animi tui impedimenta hæc sunt, quibus non tu, sed quæ sunt extra te exornantur. Cur igitur gaudes malo tuo? cur inania miraris & impedimentorum multitudine gloriaris? Hanc servorum cohortem, quæ latus tuum cingit, rectè dixeris hostilem exercitum, à quo satis cavere non potes. Quid agas nosse volunt, non quid præcipias. Nihil humiliorum eorum ingressu, nihil progressu insolentius, nihil odiosius egressu.

2. Studio sitatis